DE

METHODO GALVANOCAUSTICA

EIUSQUE USU IN CLINICO GRYPHISWALDENSI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

GRYPHISWALDENSI

AD SUMMOS

IN MEDICINA,

CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA

HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XI. MENSIS AUGUSTI ANNI MDCCCLX

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GUSTAVUS GOEDEL,

SAXO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

M. REIS, DRD. MED.

W. SCHOENLEBEN, DRD. MED.

C. SCHULTE, DRD. MED.

GRYPHIAE,

TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO, CELEBERRIMO

A. BARDELEBEN,

MED. ET CHIRURG. DOCTORI ET PROFESSORI PUBLICO ORDIN. INSTITUTI CLINICI CHIRURG. ATQUE OPHTHALM. UNIVERSITATIS GRYPICAE DIRECTORI, ORD. AQUIL. RUBR. EQUITI, CET.

PRAECEPTORI DILECTISSIMO,

FAUTORI SUMME COLENDO

NEC NON

VIRO

DOCTISSIMO, HUMANISSIMO, HONESTISSIMO

S. A. HOENERKOPFF,

MEDICINAE, CHIRURGIAE, ARTIS OBSTETRICIAE DOCTORI, MEDICO PRACTICO PUBLICE CONSTITUTO

MARITO SORORIS CARISSIMO,

EGREGIE DE SE MERITO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Generalia.

Recentioribus temporibus electricitatis in medicina usus therapeuticus magis magisque sese extendit, atque his tribus effectibus, qui in electricitate sunt positi, in animo habent uti:

Primum quidem effectu electrodynamico utuntur, qui electricitati est in systemate nervorum cerebrospinalium. Hoc vero effectu, qui repentinis brevibusque cum dolore conjunctis motibus plane et perspicue potest cognosci, ut Faradisatione uti solent, ut paralyses, contracturae, neuralgiae, rheumatismi removeantur, magnaque inspiratio efficiatur in asphyxia chloroformio facta, in aqua submersis aliisque in casibus. Quas ad res efficiendas rarissime electricitas tritu provocata, saepius adhibetur rivus electricus intermissus, qui inductione gignitur, quum constans rivus solum, dum catena aut clauditur aut aperitur, brevem motum efficiat, alias nervus, quem percurrit, non incitetur (Eckhardt); quem effectum Remak prospero eventu multis in contracturis adhibuit. Jam vero effectu electrochemico utuntur,

qui eorum, per quos rivus perducitur, liquorum dissolutione sese ostendit. Qua in re constans inprimis rivus adhibetur electricitatis illius, cui contactu prolatae nomen est galvanismo. Qua vi in medicina praecipue ut electropunctura utimur ad concludendas varices (Schuh), aneurysmata (Petrequin), tumores cavernosos, alia, coagulatione albuminis, quod in sanguine inest commutato in vasis rivo electrico. Nonnulli etiam fuerunt, qui hanc dissolventem rivi electrici vim in calculis in vesica natis (Gruithuisen) et in lentibus crystallinis turbatis (Crusell), frustra tamen, adhiberent. Denique utimur effectu electrothermico, quo filum intercalatum usque ad eum caloris gradum adduci potest, ut candescat et liquefiat, vel etiam comburatur. Quem ad finem magnas constantesque catenas, a Grove, Daniel, Bunsen constructas, adhibemus. Cum autem hujus effectus in medicina usus non sit positus in filo liquescente, sed in maximo illo ardore, in filo intercalato effecto, ad hoc filum construendum platinam non facile liquescentem adhibere cogimur. Nihilo autem secius hoc in clinico nostro, quum platina aegerrime tantum posset comparari, filum etiam ferreum, bene antea excandefactum, felicissimo eventu est adhibitum; qua in re hoc sane est animadvertendum, tantis caloris gradibus uti nos nequire. Nam tanta est electricitatis vis, ut etiam platina interdum nescio quo modo ita mutetur, ut postea fragilior videatur, et, quum iterum eam adhibere velimus, ardente spiritu vini excandefieri eam necesse sit.

Primus autem effectum illum ad chirurgicas adhibuit operationes Steinheil, physicus Monacensis, anno 1843, quo auctore Heider Vindobonensis (Der Platinschliessungsdrath als Glühapparat für chirurgische Zwecke, von Dr. Heider und Zeitschrift der k. k. Gesellschaft der Aerzte zu Wien. Bd. II p. 421) anno 1845 ardore electrico ad nervos dentis pulpae delendos est usus. Multo jam longius processit Crusell (Bulletin de la classe physico-mathématique, Petersbourg. Bd. VI, Nro. 134, p. 222, 1848) anno 1846, qui quum filum ardens serrae modo ultro citroque moveret, tumores resecuit, atque primus galvanocausticae nomine usus est. Jam vero John Marshall anno 1850 filum cadens adhibuit ad fistulas claudendas et polypos uteri resecandos, anno 1852 Leroy d'Etiolles stricturam urethrae perussit, anno 1853 Amussat ulcera portionis vaginalis uteri, interiorem ranulae partem, aliaque cauterisavit. Middeldorpf autem (Die Galvanocaustik, ein Beitrag zur operativen Medicin, von Dr. A. Th. Middeldorpf, mit 4 Tafeln, Breslau, Novbr. 1854) quo nullum magis meritum esse de galvanocaustica nemo certe ignorat, galvanica batteria ad usum apte constructa et praeclaris instrumentis inventis, galvanocausticam summopere extendit, et jam anno 1854 ea in iis est usus casibus, qui in difficillimis eorum, qui operativae therapiae et technicae sunt propositi, numerandi sunt. Quo ex tempore factum est, ut galvanocausticae usus, si minus apud privatos medicos, in nosocomiis tamen et clinicis late pateat. Atque

primus quidem, qui in Germania hanc novam methodum sine ira et studio, omnibus tamen viribus curavit, est Ill. Bardeleben, praeceptor noster summopere venerandus, qui singulari, qua est benevolentia, eos, in quibus usque ad hoc tempus adhibuit galvanocausticam, casus componere, gravissimosque eorum describere mihi permisit. Permultis ejus experimentis ipse interfui, alia ex Werni dissertatione sumpsi, cetera ab Ill. Bardeleben benigne mihi sunt exposita.

De apparatu galvanocaustico.

Maxime sunt ad electrothermicos effectus efficiendos idoneae constantes catenae cum duobus liquoribus, qui et efficiendi et utendi ratione sunt diversissimi. Catena Danieliana (cupr. in solut. cupr. sulf. et zinkum in acid. sulf. dilut.) ut effectu est aequabili et facilis purgatu, ita non est valida et fortis. Nam opus est ei superficies septies decies latior, quam Groveanae (Wiener med. Wochenschrift, 9. Jahrg. 1859 Nro. 42); itaque fit, ut magis sit accommodata ad apparatus inductionis. Catena illa, quae ex ferro fuso acido nitr. conc. immerso et ex zinko in acido sulf. dil. est composita, etsi gravissima, tamen est inaequabilis, summisque eget opibus. Illa vero, quae constructa est a Bunsenio ex carbone in acid. nitr. conc. et ex zinko in acid. sulf. dil., vilis est et valida. Attamen minus est illa idonea, cum carbo difficilis sit ad eluendum, et exhalatio acidorum vaporum, dum adhibetur, continua organis re-

spirationis et instrumentis ipsis sit perniciosa. Sed jam illa, quae est optima et efficacissima et ad parvum modo locum pertinens, est batteria Groveana, qua Middeldorpf utitur in cista lignea, quae in longitudinem duodecim digitorum eandemque in latitudinem et in altitudinem decem digitorum porrigitur. Illa batteria quattuor ex elementis est composita, cujus platina superficiem habet ducentorum quinquaginta digitorum quadratorum, zinkum ducentorum decem. Platina immergitur in acidum nitric. conc. in vase argillaceo, quod satis potest concludi lamina vitrea. Jam vero vas inest in vitro acidi sulf. dil. (1:10), quod vitrum etiam zinkum cylindraceum recipere debet. Inter quattuor autem illa elementa cylindrus est ligneus, cujus diametrus est dimidii et duorum digitorum. Insuper octo sunt cava Hydrargyro impleta, quorum quattuor in parvuli circuli modum ad platinae fila ducentia, cetera majoris circuli modo ad zinci fila recipienda sunt destinata. Duobus ex cavis, quae platinae primi elementi et zinko quarti respondent, duo illa fila per parietem proficiscuntur, quae per octo fila ducentia cuprea et serico obducta rivum in instrumenta adducunt, in quibus platinâ intercalatâ, cujus ardor est adhibendus, fila illa sese conjungunt. Atque facile est intellectu catenam concludi, cum cava illa in caudice commutatorio (Wechselstock) satis sint conjuncta. Quod ut fiat, tres efficiunt disci commutatorii (Wechselscheiben), quibus apparatus noster per famulum et celeriter et facile combinari potest aut ad hanc simplicem catenam:

$\underbrace{Pt^1 + Pt^2 + Pt^3 + Pt^4 + Zn^1 + Zn^2 + Zn^3 + Zn^4}$, aut ad hanc columnam: $\underbrace{Pt^1, Zn^1Pt^2, Zn^2Pt^3, Zn^3Pt^4, Zn^4}$, aut ad hanc columnam duobus ex paribus compositam $\underbrace{Pt^1 + Pt^2, Zn^1 + Zn^2, Pt^3 + Pt^4, Zn^3 + Zn^4}$. Quarum combinationum quae sit adhibenda, ex hac Ohmi lege sequitur. „Die Stärke des electrischen Stromes ist der electromotorischen Kraft der Kette oder Säule direct und der Summe aus dem Leitungswiderstande, den der Strom in der Kette oder Säule und im Schliessungsbogen erfährt, umgekehrt proportional." Itaque platinae filum, si est breve et crassum, ad catenam, sin vero longum et tenue, ad columnam haud scio an magis sit idoneum. Saepenumero autem optimum sit, ut, priusquam utaris, quae combinatio maxime sit idonea experiaris, cum facultates circulationem electricam prohibendi difficillimae sunt ad providendum (cf. Bardeleben, Chirurgie, Bd. I, pag. 123). Sed usque ad totam suam vim paulo postquam est composita, pervenit. Ut autem is, qui experitur, suo arbitrio catenam aut claudere possit aut aperire, in singulorum instrumentorum manubrio ex filis ducentibus cupreis unus transverse est diffissus, cujus inferior pars ut a superiore abstinetur vi elastica, ita aut premendo in capitulum, quod eminet, aut, id quod multo est melius, promovendo ligneum quoddam, quod ad hunc finem est praeparatum, ad superiorem perfecte possit imprimi. Itaque fit, ut catena claudatur hac re, ligneo autem illo remoto rivus statim intermittatur, et ardor platinae filum relinquat.

De Armamentario galvanocaustico.

1. Galvanoculter (galvanocaustisches Bistouri). Hoc instrumentum octogono crassoque ebeno constat, per quod fila illa cuprea et auro illita, quae cum ducentibus filis sunt conjungenda, transeunt superficiemque superant aliqua parte, ubi platinae filum in latum diductum atque hanc formam ∧ imitatum cochleis a latere firmatur. Forma autem illa platinae fili ita esse debet constructa, ut non nimis latera anguli inter se appropinquentur, neque platina ipsa debeas uti, nisi cum catenâ conclusâ, candescat. Ope hujus instrumenti quasi cultro excidere possumus, abscessus incidere (No. 75.), vegetationes luxuriantes delere (No. 28.), neoplasmata degeneratasque glandulas exstirpare, subtilissimas facere lineas ut in Trichiasi et in progressiva musculorum atrophia, Tracheotomiam efficere sine ulla haemorrhagia, nervos resecare etc. Ad dentium autem nervos delendos haud scio an instrumentum illud, a White constructum, sit praeferendum, quod tenue habet platinae filum et in rostri formam flexum. Neque vero celerius est adhibendus culter, cum alias dividantur quidem partes molles, neque vero satis cauterisentur. Neque id est negligendum, ut semel iterumque instrumentum tollas ad purgandum a telis combustis et adhaerentibus, et cum sanguine sit refrigeratum, ad majorem denuo caloris gradum efficiendum. In vegetationibus valde luxuriantibus (No. 28) saepenumero etiam fit, ut platina sanguine refrigerata propter minorem

calorem non modo parum cauteriset, sed etiam augeat haemorrhagiam. Id autem, quod hoc in instrumento parum sit bonum, est, quod cum labium superius ad os incis. resecandum (No. 7.) propter cancrum melanodem est diffissum, fieri non potest, quin margines vulneris vel digiti famuli eas tenentes cochleis interea calefactis valdeque a latere prominentibus violentur.

2. Cauterium galvanicum (Porzellanbrenner). Hoc in instrumento, in longitudinem octo digitorum porrecto et manubrio duobusque id percurrentibus filis cupreis instructo, quae lamina sunt eburnea dissociata, conus est porcellanicus, platinae filo circumdatus, quo calefacto (vi rivi galvanici) et ipse calefit. Sicut antea ferro candente, sic his temporibus hoc instrumento utimur, ut majores superficies fortiter cauterisemus, quorum in numero sunt vetera ulcera crurum torpida (No. 47.), ulcera portionis vaginalis, circuitus fistulae vesicovaginalis (No. 67.) aut os, quod prominet post amputationes (No. 80.). Simili modo est constructum instrumentum illud (Kuppelbrenner), quod, cum coni porcellanici locum teneat lamina platinae, magis ad levem cauterisationem est accommodatum. Cum autem alia esse debeat rivi compositio et lamina ipsa parum resistat, hoc in clinico rarissime est adhibitum, praesertim cum Cauterium galvanicum, quod saepius celeriusque singulae attinguntur partes, aut in iis, quas facile adire possumus, partibus culter gal-

vanicus, qui tum maxime adhibetur, satis superque idem efficiat (No. 28.).

3. Cauterium sacci lacrymalis. (Thränensackbrenner). Duo fila cuprea in unci modum flexa in inferiore parte ita sunt terebrata, ut platinae ansam quamvis magnam possis transmittere. Quod instrumentum, etsi fere semper ad saccum lacrymalem et ductum nasolacrymalem delendum adhibetur, tamen non minore effectu, quam id, de quo paulo post dicere nobis proposuimus, instrumentum, ad dentium nervos delendos aut ad exstinguendum majorem nervum in canali suo, ut nervum infraorbit., possumus adhibere.

4. Cauterium stricturarum. (Stricturenbrenner.) Duo sunt eorum genera, quorum unum in longitudinem octo digitorum, alterum duodecim digitorum porrigitur. Constat hoc instrumentum ex duobus filis cupreis, unum juxta alterum, quae, dissociata ebore et superiore in parte platinae filo crasso et valde inciso conjuncta, cylindri dimidii formam fingunt. Flexuram arbitrio tuo potes commutare, cum fila ipsa sint flexibilia. Quod instrumentum, ut jam ex nomine ipso potest perspici, vel ad stricturas perurendas adhibemus, vel ad stricturam perviam extendendam, vel ad novam urethram constituendam in hypospadia glande non perforata. Quae impedimenta, cum facile et celeriter superentur, multo plus opus est temporis ad os hoc instrumento perurendum, ut, cum proc. palatin. max. sup.

sit perforandus (No. 7.) ad platinae ligaturam perducendam, hoc instrumentum adhiberi non possit.

5. Filum candens. (Glühdraht.) Hoc instrumentum, quo jam Crusell est usus ad tumores exstinguendos, nunc nullo fere alio modo, nisi ad fistulas scindendas adhibere solemus. Si duo sunt aperturae, nihil aliud est nobis agendum, quam ut filum cavo specillo per fistulam traducamus; si una, priusquam filum perducas, contraapertura est tibi facienda, quo facto, ut molles illae partes, quae cavum occultant, persecentur, filum candefactum inter duas forcipes ultro citroque est movendum. Si brevibus in fistulis alteram aperturam facere nolis, ad cauterisandam fistulam saepe Cauterio sacci lacrymalis utimur aut ansa filis parallelis instructa, quae specillo eburneo furcillato introducitur. In tumoribus cavernosis filum, vel, ut solito utamur nomine, setaceum candens ita adhibetur, ut complura subtilia fila per tumoris basin unum juxta alterum transfixa et in prominentibus partibus comprehensa forcipibus, exardescant, itaque, ut tumoris sanguis coaguletur, efficiant.

6. Ligatura candens (Galvanocaustische Schneideschlinge.) Nihil est, quo tantopere ad summam gloriam sit adducta galvanocaustica, quam hoc instrumento a Middeldorpfio invento, quo instrumento, cum ad ligaturae vulgaris etiam cultri adjiciat virtutes et utilitates nullum galvanocausticum gravius mihi quidem esse videatur. Atque ipse quidem inventor Middeldorpf accurate et dilucide in opere,

quod supra commemoravimus, pag. 43. et Ill. Bardeleben l. c. pag. 124, quomodo sit constructum hoc instrumentum, exposuere. Ansa fili platinae, cujus diametrus est dimidii vel unius fere millimetri circum illam, quae secari debet partem, ut circum polypi radicem, finesque per angustos beneque ducentes tubulos ducuntur, ipsos alterum ab altero jugo eburneo aut fascia bombycina aut collodio dissociatos. Tubuli illi, qui pro ratione tum recti tum curvati (No. 22.), tum longi tum breves esse possunt, cum ansifero conjunguntur, qui conis lateralibus cum batteriae filis ducentibus cohaeret. Cum disco commutatorio imposito catena claudatur, ea sola ansae pars ardere incipit, quae tubulos superat (der Klang), neque vero, quae inest in tubulis, candet, cum tubuli bene ducentes multo minus resistant, quam ansa ipsa. Illae partes, quae ex tubulis inferioribus eminentes a rivo non percurruntur, per axem sunt trajectae, cujus rotatione ansa aequo modo in angustum adducta radicem polypi, quam circumdat, magis magisque perurit, ut, radice tota persecta, si magis torqueas, filum dirumpatur. Saepe ansa, ut in portionis vaginalis operatione, ita potest muniri, ut forcipe, a Muzeux aut a Luer constructa, per magnam ansam platinae fili, quod in instrumento ipso est affixum, pertracta portionem vaginalem comprehensam paulum detrahas, ansaque illa sursum missa celeribus nonnullis axis rotationibus partem exstirpandam circumdes. Id autem inprimis est providendum, ne filum flexus habeat, cum hoc loco resistentia

rivo oblata (Leitungswiderstand) major sit calor, itaque filum facilius comburatur.

Atque profecto facile est intellectu, quaecunque praebet commoda Galvanocaustica, hoc in instrumento una adesse. Nam quae ad loca ferro candente adire minime possumus, nisi partibus, quibus parcere debemus, violatis, iis potest adhiberi, atque loco ipso candor in tam exiguum spatium est condensatus, ut partes propinquae nullo modo possint violari. Ferro candente jam, cum ad locum suum perferatur, et in operatione ipsa semper aliquantum refrigerato, ardor ligaturae candentis, dummodo paullatim ansam angustiorem faciamus, neque nimius adsit sanguis, idem propemodo semperque tantus est, ut etiam ossa persecare possimus (No. 1. 2. 3.). Id autem, quo ligatura candens praestat vulgari, est, quod haec operationem eadem paene celeritate, qua culter, perficit, illa pluribus diebus confectis dissociat partes, nec tam certe defendit a pyaemia. Quin etiam quassationem linearem (écrasement linéaire de Chassaignac) celeritate superat, certius ab haemorrhagia, neque scio an a pyaemia defendit, atque, quibus locis „écraseur", ut dicitur, non potest adhiberi, ut in polypis pharyngis exstirpandis, iis etiam magnam affert utilitatem. Neque vero negari potest, écraseur multo esse viliorem (12 Thlr.), ut certe saepius apud privatos medicos inveniatur, quam apparatus ille galvanocausticus, qui non exiguo constat pretio (150 Thlr.) Quin etiam in clinicis, si forte apparatus ille vel alia de causa vel in

operatione ipsa est corruptus, ut hoc instrumento utamur, saepenumero accidit. (No. 21. 23.)

Specialia.

Culter iis in casibus est praeferendus, quibus in operatione ipsa haemorrhagia facile potest sisti sive arteriis ligatis, ut in amputatione, sive suturis celeriter factis, ut in linguae apice excidenda, Dieffenbachio auctore, aut in iis, quibus operatione perfecta vulnus per prim. int. nat. quam maxime sanari volumus, galvanocaustica in contrario genere multum valet, quo in genere haemorrhagiae pericula sunt gravissima primaque intentio negligitur. Detrusa autem eschara pro certo habere potes ferro candente, quod prodest vegetationi, secunda intentioni vulnus celerius sanari, quam cultro adhibito. Itaque, si operationes illas apparatu galvanico confectas e fine ordinamus, primum certe locum tenebit haemorrhagiae vitatio, quo in genere plurimae operationes sunt habendae. Secundum obtinebit locum commutatio vegetationis, ut cauterisatio torpidorum ulcerum atque scissio fistularum sive ferro sive filo candente, postremum cicatricum contractionis usura, tum ad pathologicas aperturas concludendas ut in labialibus fistulis, tum ad evertenda cilia in Trichiasi, tum ad vaginam propter prolapsum angustiorem faciendam. Postremo autem reliquae erunt illae operationes, in quibus id agitur, ut via illa vitetur, quae, ut ad locum operationis perveniremus, si cultro uteremur,

nobis esset munienda, velut in operatione polyporum laryngis, qua in operatione prius est facienda laryngotomia, cum aliqua peritia ansa per os introduci et polypi radici circumdari facile possit (vid. Middeldorpf l. c. pag. 213); praeterea etiam in operatione impermeabilis urethrae stricturae (Boutonnière) quae stricturarum cauterio peruri potest urethra non diffissa.

Sed quo facilius omnia comprehendi animo possint, aptius fore puto, singulos casus pro operationum ratione ordinare, itaque, si placet, primum quidem de Amputationibus dicam, deinde de Resectionibus et de Exstirpationibus, denique de Cauterisationibus. Atque in duobus illis prioribus partibus, ut haemorrhagia vitaretur, galvanocaustica est adhibita, in tertia, ut ceteris etiam uteremur commodis. Atque ut primum de Amputationibus dicamus, ad singulas corporis partes amputandas inprimis est utilis galvanocaustica, cum non modo molles partes sine haemorrhagia, sed etiam, dummodo aegrotus non nimis sit senex, ossa satis crassa facile persecentur. Quin etiam tota membra ansa candenti posse amputari Amussati conatibus apparet in mortuis factis, atque casu illo, quem sub num. 4 commemoravi; sed Amussat auctore ossa illa crassa adurere, adusta perfringere supervacaneum esse et tempus perdere mihi videtur. Inprimis autem in amputatione penis quanti sit galvanocaustica, potest perspici, cum hoc membrum multo refertum sanguine sine ulla haemorrhagia possit amputari.

1. Amputatio metacarpi V. manus dextr.

H. Stein, decem annos natus, exigua et parum valida statura, aneurysmate laborabat dextrae manus anastomotico. Arteriae aeque, ac venae, magis solito erant amplificatae, propagatae, sinuatae; in latere ulnaris manus, inprimis in parvo digito, qui duplo erat major digito alterius manus flexusque, neque arbitrio poterat moveri, neoplasma erat, quod pulsationes ostendebat et visibiles et sensibiles, et tria circumscripta varicosa ulcera. Auscultatione inveniebatur fremens strepitus, qui in compressione Arteriae radial. paulum, Art. ulnar. magis, Art. brachial. totus deminuebatur; atque omnino premendo neoplasma valde imminuebatur. Atque id erat inprimis elaborandum, ut digitus supervacaneus removeretur, quo facto magna neoplasmatis pars ulceraque delerentur, quae, si latius se propagarent, haemorrhagiam periculosam efficere possent. Ut haemorrhagia impediretur, ligatura candente primae parvi digiti phalangi imposita, usque ad os est cauterisatum atque os ipsum, id quod facile erat factu. Tum eodem instrumento molles partes usque ad metacarpophalangeam articulationem in utraque parte sunt dissociatae, et os metacarpi ipsum est perustum. Ex vulneris forma potuit cognosci digitum esse persecatum methodo ovalari. Haemorrhagia erat perexigua, attamen duo vasa, e quibus sublata tota paene Art. brachialis compressione prosiliebat sanguis, ligatura circumdabantur. Cum, ne haemorrha-

gia postea fieret, timeremus, vinculum liquore ferr. sesquichl. est impositum. Mense Julio paene confecto vulnus erat sanatum, venae et arteriae in latere dorsali erant deminutae, cum in latere volari regione vulneris superficiei pulsationes et fremitus animadverterentur, quam ob rem die XIV. mens. Jul. ramus vol. sup. art. uln. ligatura est circumdatus, qui duplo erat crassior Art. ulnari normali, et die XXVI mens. Octobr. in secundo metacarpi osse parvorum vasorum pulsantium magna multitudo. Die VII. m. Dec. aegrotus, fremitu et pulsationibus non omnino compositis, tamen ut sanatus, quum manus operibus suscipiendis aptissima esset, e clinico est dimissus.

2. Amputatio digitorum superfluorum.

a B., sex menses natus, gemellus bene validus, cum sex digitis in utroque pede totidemque in utraque manu natus erat. Digiti pedis sine ulla deformitate ita erant ornati, ut perturbationem functionum nullam ei afferrent. In manu sinistra digitus superfluus, qui ex duabus constabat phalangibus, cum articulatione metacarpophalangea quinti digiti erat conjunctus in dextra modo ligamento fibroso cum osse primae quinti digiti phalangis. Cum parentes propter haemorrhagiam valde timere viderentur, ligatura candens est adhibita, qua in dextro latere ligamentum fibrosum celeriter erat perscissum. In sinistro latere, ne articulatio aperiretur, basis primae sexti digiti phalangis ansa est circumdata, brevique molles partes atque ossa erant persecta. Haemor-

rhagia paene nulla erat, et vulnus sine suppuratione eschara inducta est sanatum. In sinistro latere, id quod reliquum erat supervacanei digiti paulatim est exfoliatum, ut nunc nonnullis annis confectis vix eminentia vel cicatrix possit perspici. Atque hic unus est casus, in quo apparatus extra muros Gryphiae est adhibitus, et quamvis non sine difficultate in arcam imponi posset, tamen hoc in itinere quattuor milliarium certum se praebuit.

3. Amputatio digiti IV pedis dextr.

D. Meinow, qui per multos annos subluxatione laborabat digiti pedis quarti in articulatione metatarsophalangea, cum propter mollium partium compressionem multas magnasque tolerasset molestias, auxilium a nobis petiit, ut molestum digitum amputaremus. Inprimis experimenti causa in clinico nostro apparatu galvanocaustico quartus dextri pedis digitus super articulationem phalangometatarseam est amputatus ansa per crassum os, quod paulum resistebat. Haemorrhagia erat minima.

4. Amputatio femoris.

Zornow, quindecim annos natus, laborabat compl. fractura patellae. Vinculum gypseum in urbe ipsa est impositum. Puer cum in clinicum veniret, omnia bene esse eventura videbantur; sed paucis diebus confectis gangraena exstitit primum quidem digitorum pedis, tum cruris, quae, etsi vinculum, simulac gangraena est visa, erat remotum, celeriter procede-

bat. Cum illo tempore, sicut fere semper in vetere nosocomio pyaemia ad omnes fere pertineret arcere pyaemiam tentavimus galvanocaustica in amputatione adhibita. Platinae filum, mediocriter crassum, cute scissione circulari dissociata paulumque retracta, mollibus partibus circumdabatur, et in ansifero illatum cum batteria conjungebatur. Quae quamvis efficax esset, tamen tarde membrum persecabatur, fortasse propter multitudinem mollium partium, quae erant dissociandae. Dimidia paene earum parte dissoluta, ansa retracta superiore loco est imposita, atque os est sectum; quod quum frustra conaremur ansa candente dissociare, serra debebat persecari. Cum filum Art. femor. separavisset, compressio prophylactica in inguine est paullisper intermissa, qua in re statim sanguis prosiliebat. Cum filum candens pergeret persecare, solito modo protracta ligatura est circumdata. Id, quod speraveramus, fore, utg alvanocaustica pyaemiam arceret, non evenit. Omnibus cum symptomatibus characteristicis, morbus ille hoc in aegroto apparuit non minus, quam in ceteris, qui eodem erant tempore amputati, neque servari aegrotus potuit. Attamen ex hoc casu concludi non potest, methodum galvanocausticam ad arcendam pyaemiam non valere; nam facile intelligi potest, quanta sit difficultas discernendi, num in hoc puero jam ante amputationem pyaemiae exordia inceperint necne, quum magna et articularis quidem jam antea exstiterit suppuratio.

5. et 6. Amputatio penis.

Cf. Diss. Dr. Ulrich.

Venio nunc ad alteram illam partem, in qua de Resectionibus et de Exstirpationibus dicere mihi proposueram. Quibus in casibus erant ossa persecanda, in omnibus appparuit, substantiam compactam ossium adeo resistere ardori candenti, ut ab hoc incepto plane desistere, atque ceteram rationem necrosi, quae sequebatur, permittere deberemus (Nr. 9.), aut etiam osse forfice persecto effectum platinae candentis cauterisantem adhiberemus. (Nr. 7). Alia autem est ratio resectionis polyporum, et, ne plura de galvanocaustica dicam, haec modo Middeldorpfii verba commemorabo, l. c. pag. 136.: „Hätte die Galvanocaustik keine anderen Vorzüge, die Vorzüge hierbei würden allein mehr als hinreichend sein, ihre Zukunft für immer zu sichern, ja sogar für einzelne Fälle sie als die allein mögliche Methode hinzustellen.“ Middeldorpf non tam habet rationem effectus haemostatici, quam facultatis iis locis agendi, quibus nec forfex neque culter sine periculo certo potest adhiberi, tum autem fixationis ejus, quae est persecanda partis, instrumento ipso, et inflammationis propter effectum distincte finitum minoris. Haemostaticus autem galvanocausticae effectus inprimis in parte aliqua linguae exstirpanda potest intelligi, quae propter magnam, quae inest, sanguinis multitudinem certe cum pene potuerit componi. Nam, ut hoc unum dicam, in casu illo, quem hac in parte sub num. 29.

commemoravimus, quo in casu tota paene sinistra linguae pars platinae ansa est sublata, ne minima quidem haemorrhagia exstitit.

7. Resectio maxillae superioris.

E. Stege, sex menses natus, ante duos menses in maxilla superiore dentem accepit, qui secundo die ita excreverat, ut excidere vellet. Eodem tempore in maxilla sup. tumor est exortus, quem „parulim“ esse omnes putabant. Quinto die dente elapso haemorrhagia est facta, quae sua sponte sistebatur. Dens ipse cariosus in cavo habuit vesiculam. Tumor, qui erat circumcisus, ut ad necrosim veniret, magis magisque luxuriabatur. Stat. praes. die XI. mens. Aug. 1859. Labium superius tumore, qui subest, valde in anticam partem premitur, ut os plane non possit concludi. Tumor ipse durus maximam partem tenet proc. alveol. dextrae maxillae et parvam sinistrae. A tergo ad dimidium palati duri porrigitur. Membrana mucosa, quae in tumore incubat, est caerulea. Quum hunc tumorem malignum esse dubitari non possit, ad partem illam resecandam aditur. Labium superius et nasus in dextro septi latere discinditur, atque molles partes in utroque latere Galvanocultro resecabantur. Tum diu durum palatum post tumorem stricturarum cauterio perterebrare frustra conabamur, neque plus proderat Cauterium dentium. Neque aliud spectabatur, quam ut per foramen illud faciendum platinae ansa

perduceretur, qua imposita illa maxillae pars persecaretur. Itaque, postquam septum Galvanocultro erat amputatum, durum palatum et alveol. proc. Listonis forcipe in utroque neoplasmatis latere persecabatur, quo facto et os et neoplasma resolvebatur. Haemorrhagia, quae sequebatur Cauterio galvanico sistebatur, et obturamentum adhibebatur. Cum vulneris superficies molli esset linteo carpto contecta, labium superius nasusque suturis nodosis sunt conserta, vulnusque per primam intentionem sanatum. Cum pars illa exstirpata accuratius inspiceretur, cancer melanodes est inventus. Aegrotus die XXII. mens. Aug. est dimissus.

8. Resectio ossis incisivi.

G. Paul, sex menses natus, a. d. III. Non. Jul. 1859. in clinicum est missus. Labium superius dupliciter est fissum, atque membrana mucosa labiorum in cutem alarum nasi transit. Os incisivum cum maxillae superioris ossibus non est conjunctum, sed cum vomere ita, ut possit moveri. Medium labium superius super os incisivum parvum efficit tumorem, et in septi transit tegumentum. Non. Jul. 1859 operatio est facta, cum os incisivum platinae ansa resecaretur, qua in re haemorrhagia ex magna Art. nasopalatina evitari omnino non poterat. Cum autem cauterio galvanico tangeretur vulnus, haemorrhagia extemplo sistebatur. Labiorum marginem late distantium consertio in posterum differtur tempus. Die XXX. mens. Jul. medium labium superius, quod

osse incisivo sublato, firmitatem amiserat, corrugatum in marginibus paulatim gangraenae cedit, cum eschara detrusa nova semper existat Die VII. mens. Aug. aegrotus catarrho intestinali est mortuus.

9. Resectio arcus zygomatici.

Amaliae Grell, 26. annos natae, quae jam ab anno 1849. in nosocomio nostro primum quidem periostitide, tum necrosi ossis parietalis et temporalis sinistri laborabat, Periostitis et Necrosis in fossam etiam pterygopalatinam descenderunt. Fistulosus sinus pone arcum zygomaticum ducebat. Mense Augusto anni 1852. haemorrhagia exorta est tanta, ut nullis remediis posset sisti. Itaque Ill. Bardeleben Art. carotidem comm. in cartilaginis thyreoideae regione felicissimo eventu ligatura circumdedit. (Idzikowski, diss. de ligat. carotidis comm. Gryph. 1852.) Cum accuratius exploraretur fistula jam dudum exorta, quae, nullis remediis sanari potuerat, inventum est, fistulam usque ad internam sinistrae genae partem in oris cavum penetrare. Arcus zygomaticus sentiebatur asper et cariosus putabatur. Quam ob rem placuit ligatura candente eum removeri. Perducitur illa die IV. mens. Dec. 1856 per fistulam, et vaginae ope acus triquetrae exploratoriae sub arcu zygomatico educitur, ut arcus zygom. ligatura circumdaretur. Tum catena clausa, molles partes sine haemorrhagia persecabantur. Attamen arcus com-

pactus tantam praebuit resistentiam ardori candenti, ut, priusquam totus esset perustus, operatio finiretur; suppuratione illum detrudi placuit. Etsi glaciei fomenta imponebantur, proximo die gena atque palpebrae vehementer tumebant, aegrotaque febricitabat. Die XI. mens. Decbr. 1856 arcus zygom. erat nudus et Listonis forcipe removebatur. Ab ansa platinae persectus erat usque ad quartam partem. Post aliquot hebdomades fistula clausa est ab ore vulnusque parte ossis necrotici detrusa celeriter est sanatum.

10. Resectio nervi dentalis sup.

Hammel, per longum tempus paralysi nervi facialis partis sinistrae, et neuralgia in tota regione nervi trigemini dextri valde laboraverat. Omnibus medicamentis ad sanandum hoc grave et horrendum malum pharmaceuticis recommendatis frustra adhibitis, aegrotus in clinico nostro chirurgico auxilium petiit, atque excisa magna parte nervi infraorbitalis, post octo menses malo est liberatus. Dolores autem, ut aegrotus narrabat, postquam perfrixit, redierant, cujus mali sedes erant rami nervi infra- et supraorbitalis; ex quo iterum pars excisa est, rursus quidem cum prospero eventu, quum dolores in regione nervi quoque infraorbitalis cessarent. Aliquot mensibus interjectis denuo redierant, maximeque in regione nervorum super. dentalium. Itaque marginem alveolarem ligatura candente adhibita in eo ambitu perscindere nobis placuit, in quo prius dentes buccales affixi fuerant, nam dentes ipsi viro infelici jam in initio

mali erant extracti. Ad perficiendam operationem instrumento, cui nomen est Drillbohrer, per ultimam maxillae sup. marginem proxime ante tuberositatem maxillae sup. canalis est terebratus, qui in cavum oris in margine palati duri laterali sese aperuit. Eodem modo canalis per processum alveol. pone dentem caninum terebratus, ansa platinae per utrumque canalem ducta atque extremis partibus in ligaturae tubis affixis catena clausa est. Tempus ad persecandam hujus (compacti?) ossis partem minus erat duabus minutis, neque filum per operationem diffissum neque ullus sanguis effusus est, dum inter terebrandum multus sanguis profluxerat. Pars ossis infra lineam, in qua maxilla sup. disjungebatur, non in necrosin ducta est. Nec minus tota sectionis linea brevissimo temporis spatio granulationibus luxuriantibus est expleta; dolores post operationem fere nulli et intumescentia partium circumjacentium paene minima, atque aegrotus quattuordecim diebus interjectis correctus dimissus est. Dolores neuralgici non priusquam post aliquot mensis sunt reversi· Ignoto morbo post longius tempus mortuus est. Cum sectio fieret, jam ita putrefactus erat, ut in cavo cranii neuralgiarum illarum causa non posset inveniri

11. Resectio tumoris coccygei.

Martens infans, novem hebdomades natus, cum summis difficultatibus antecedente posteriore parte, erat natus, qua in re ab obstetrice, ut difficultates superarentur, duobus digitis in anum inductis, vi

podex ex partus viis extrahebatur, sphincterque ani distrahebatur. Partum impeditum esse tumore in regione coccygea posito est intellectum, qui postea magis magisque augebatur. Identidem punctionibus factis liquor in aquae limpidae modum pellucidus emanabat. Tumore denuo impleto, infans valde est debilitatus. Cum parentes operationem fieri vellent, infans die XIV. mens. Mart. 1860 in clinicum est missus. — Status praes.: Infans grandi macie est confectus, cutis flaccida; tumor ab inferiore ossis sacri parte trans os coccygeum usque ad anum porrigitur ad eandem paene magnitudinem, atque infantis caput, ad longitudinem $5\frac{1}{2}''$, latitudinem $3\frac{1}{2}''$, altitudinem $3''$. Basis diametrus est trium circa digitorum. Tumor ipse est mollis, fluctuans, cutisque ejus multis et teleangiectasiis et rugis exornata. Quomodo sit tumor cum vertebrali canali conjunctus difficile potest distingui, cum a recto vertebras esse dissociatas non possit cognosci. Cum tumor magnam cystem adaequet, quae ex spina bifida exstitisse potest, tumorem coccygeum Ammon auctore, eum nominare nobis placet. Cum in miserabili corporis statu operatio infelix esse futura putaretur, tamen necessaria esse videbatur, cum jam ad magnitudinem aliquam pervenisset tumor, et in dies magis cresceret. Itaque die proximo basis circulari incisione circumdabatur, ut tumor ad radicem, aut ad communicationem quae fortasse erat cum canali vertebrali, exfoliaretur. Cum cutis incideretur, jamjam sanguis prosiliebat ex arteriis quibusdam, atque major sanguinis copia, cum

alia strata exsolverentur, quae extemplo ligatura circumdabantur. Videri poterant in utroque tumoris latere singulae arteriae cum crassa vena, quae et ipsae, priusquam incidantur, ligatura circumdantur. Radix paulatim ad dimidii digiti altitudinem decrescit. Cum accuratius exploretur, inveniunt, aperturam communicationis inter cystem et meninges medullae spinalis minimam modo esse posse; in radice vasa et nervosi funiculi perspicue animadvertuntur. Ut in persecanda radice omnis omnino haemorrhagia vitaretur, ligatura candente radici circumdata batteria est clausa, quo factum est, ut haemorrhagia non fieret, cystis materiae aliquid efflueret. Vulneris superficies duorum digit. habet diametrum, atque tredecim ligaturae erant necessariae. Una vulneris pars decem suturis erat conserta, altera charpia et emplastro adhaesivo vincta. Tribus diebus confectis infans in dies magis languescens mortuus est. Causam mortis eruere non licuit, quum cadaveris sectionem instituere a parentibus non permitteretur. Tumorem exploratum inventum est nihil structura a vulgari cysti differre; vasa et nervos in tegumenta cystis incurrere perspicue poterat cognosci. Materia ipsa erat liquor subflavus atque serosus.

13. Resectio polyporum narium et faucium.

C. Glave, duodeviginti annos natus, et usque ad septimum decimum annum semper validus, de nare loquitur, respirare naribus nisi difficile non potest, saepeque sanguis e naso ei profluit. Diligentissime

instituta exploratione haec sunt reperta, laborare eum polypo nasopharyngeo, qui affixus sit in basi cranii et in choana. Itaque die XII. mens. Maj. polypus ansa platinae constrictus, batteria clausa, cum ansa semper magis contraheretur, est cauterisatus; cum autem lata basi is insidisset, totus non potuit removeri. Sed aegrotus clarius potuit loqui et sine difficultatibus respirare. Exploratio neoplasmatis microscopica ostendit, id esse osteosarcoma. Die VI. mens. Novbr. 1855 cum recidivo rediit, ut nova uteretur operatione. Loquitur denuo magisque etiam, quam antea, de nare, et ex oris cavo foetor evadit. Durum palatum a narium cavo tumore est perforatum, quod in oris cavum porrigitur. Molle palatum valde est compressum, tumore post choanas sito, ut et respirare et deglutire sit difficillimum. Proximo die platina candente neoplasma tollere tentavimus, sed latiore basi insidet, ut ansa ope catheteris elastici et tubuli Bellocqueiani inducta in contrahendo semper elabatur. Itaque extrahere polypum tentavimus, atque primum quidem forcipe vulgari; tum illa a Baudens constructa magnae extrahuntur partes, ovo gallinaceo non multo minores. Haemorrhagia erat minima; extractione facta, multo et respirari et deglutiri facilius potest. Jam vero die XX. mens. Novembr. 1855 illa, quae erant reliqua, forcipe removere tentavimus, neque eventus defecit; etiam hic minima erat haemorrhagia; ut ultima polypi pars deleretur, liquor ferr. sesq. est infusus, atque, ut aegrotus alumine gargarizet, imperatur. Die XXX.

cavum exstirpatione factum maxillae sup. charpia vino rubro madefacta obturabatur. Aegrotus vini aliquid accepit, atque liquida imperabatur diaeta juris carnis cum vitello ovi, lacte, vino. Cum semper bene se haberet aegrotus, vinculum octo diebus post est solutum, et tota linea secta cicatrice erat obducta; obturamenta pure inuncta removebantur, et cavum, quod granulationibus deminuebatur, quotidie crebris injectionibus purgabatur. Post quattuor hebdomades aegrotus ita erat restitutus, ut lectum relinquere posset. Quamvis post perfectam ejus sanationem tres anni et quod superest praeterlapsi sint, tamen malum ejus nondum rediit.

14. Resectio polyporum pharyngis.

Buchholz ludimagister, 29. annos natus, die XXII. mens. Jun. 1858 in clinicum est receptus. Loquitur sine naso, atque polypi pars a pharynge in cavum narium sese propagavit. Velum palatinum est propulsum; quod si auferas, polypum potes conspicere, quo jam unum annum aegrotus laborabat. Neque vero aurium gravitate laborabat. Itaque tubulus Bellocque'ianus introducitur in nasum, quo filum atque ansa platinae in pharynge explicata polypi radici circumdatur. Ansa tum in ansifero affigitur et cum apparatu galvanico conjungitur, ut batteria clausa aegrotus post paucas minutas duos polypos exspueret, unum ad magnitudinem formamque parvi piri, cujus superficies erat laevis colorque rubidus, alterum ad ovi columbini magnitudinem,

cujus superficies erat subalbo atque tumulosa. Tum denuo platinae ansa in- et circumducitur, et catena clausa tertius expellitur polypus ad eandem, qua primus, magnitudinem, sed latiori basi. Quartus denique polypus forcipe rēmovetur.

16. Resectio polyporum recti.

Ch. Huebenbecker, 49. annos natus, cachecticus, anaemicus, insigni macie torridus, diu magna laborabat diarrhoea, in qua faeces cum mucis gelatinosis et massis flavis, lentisque, quae cohaerebant, quibuscum sanguinem esse mixtum poterat cognosci, dimittebatur; unde haud scio, an ulcerationem esse follicularem intestini crassi consequatur. In ani circuitu satis magna est multitudo excrescentiarum membranae mucosae, quae durae cutis colore sunt solito. In duorum circa digit. altitudine in recto similes animadvertuntur nodi ex anteriore latere, quorum major pars stilo praedita ad laevam jacet, minor lata basi ad dextram. Dimidium fere annum excrescentiae minime sese commutaverunt. Exploratione, quae postea fiebat, microscopica intellectum est, heterogeneam telam non adesse. Membrana mucosa normalis videbatur, glandulae perspicue poterant cognosci sine propria vascularisatione; itaque sarcomatosa erat membranae mucosae hypertrophia. Ut haec neoplasmata removerentur, die XII. mens. Maj. 1857. multae illae excrescentiae, quae prope ad anum erant, bis cincta platinae ansa, facile et sine ulla haemorrhagia sunt sublata. Tumo-

res illi, qui erant in anteriore latere recti Lueri forcipe protrahebantur, eodemque, quo antea, modo difficile removebantur. Anteriores recti excrescentias illas radice non instructas auferre in futurum est dilatum. Quinque diebus post aegrotans mortuus est oedemate pulmonum, neque vero cita mors ab operatione poterat repeti. Cum secaretur mortuus, multas esse in latum porrectas spatium exulcerationes in Colo descendente apparebat.

17. Resectio polyporum narium.

Louisa Peters, triginta octo annos nata, sex liberos peperit. Quattuor jamjam annis animadvertebat polypos esse in naribus, qui praeter obturationem narium et dolores frontis nullas alias afferebant difficultates. Aegrota infirma est constitutione, sed magno utitur naso, ossibusque nasalibus late distantibus. Extrinsecus in dextro naso polypus solidus rubra superficie cerni et sentiri potest, qui in posteriore parte affixus non potest moveri; tumor autem in sinistro naso minor est. Medio in palato dura quattuor grossorum magnitudine est prominentia, quae nobis esse videtur proc. palat. maxill. sup., si non est ossis neoplasma. Respiratio per nares cum summis est conjuncta difficultatibus. Operatio: Primum per nasum dextrum ansa circum neoplasma duci tentatur, sed minime evenit, quum basim polypi in latere exteriore esse perperam putavissemus. Itaque primum quidem polypus in naso sinistro affixus apparatu galvanocaustico est remotus.

Deinde iterum per dextras nares platinae ansa polypum circumcingere tentavimus; sed minima tantum pars poterat removeri. Tum neoplasma forcipe a Baudens nominata est fracturatum. Hoc ex naso sanguinis profluvium non tam profusum, quam continuum exstitit, ut post meridiem ejusdem diei obturatio narium liquore ferri sesquichl. esset necessaria, neque vero ex sinistro naso, in quo erat cauterisatum. Die XXIV. mens. Maj. 1856. Ex dextro foramine, in quo erat adhibita forceps, major exstitit haemorrhagia, quam ex altero, in quo erat adhibita galvanocaustica. Sed in sinistro naso et suppuratio et dolores crescebant, ut etiam anterior naris esset excoriata. Injicitur solutio aluminis. — Die X. mens. Septbr. 1856: Ante duos jam menses e clinico domum reversa, tres ante hebdomades tumorem animadvertebat fluctuantem celeriter crescere a basi cavi narium, qui tumor sinistri narium cavi cartilagineam partem vehementer extendit, cutemque, quae superest, tenuem facit. Tumor ex sinistro naso eminet, et, simulac tangitur, aut respiratione impedita satis multum sanguinem mittit. In sacci lacrymalis regione tumor prominet fluctuans, qui tenui cute contectus satis facile potest reponi, neque vero premendo per canales lacrymales evacuatur. Cum et celeriter crevisset, multumque dimisisset sanguinem fungus esse nobis videbatur. Operatio. Cum neoplasma totum narium cavum expleat, sinistra ala nasi unum fere digitum et dimidium diffinditur, et neoplasma digito comprehensum Cooperi forcipe ex

basi cavi narium exciditur, cujus ossea latera ubique erant nuda atque aperta. Die VI. mens. Jan. 1857. Undecim diebus ante aegrota a partu septimo liberata propter recidivum veteris mali auxilium a nobis petiit. In sinistra narium parte sub sinistro interiore oculi angulo rotunda est apertura non nimis magna ex operatione priore reliqua. Hac in apertura durus tumor oblongus et videtur et sentitur ovi magnitudine, cujus postica pars non potest attingi. Specillo tumorem illum et ad exteriorem et ad interiorem partem circumire possumus, septum in dextrum latus est remotum, palpebra sinistra a bulbo late distat, (Ectropium); purulentum secretum effluit ex sinistra nare. A pharynge digito potest sentiri tumor durus atque oblongus in sinistro latere, qui satis late in pharyngem porrigitur. Qui, utrum postica sit pars prioris illius tumoris, an alia non potest dici. Aegrota de nare valde loquitur, auditque difficile. Lochia normali sunt ratione.

Cum aegrota partu sit infirma, diaetam accipit roborantem. Sex diebus confectis aegrota noctu subito vomere incepit, valdeque inquieta de frigore questa est, cum totum corpus multo sudore manaret. Pulsuum erat numerus 120. Quae signa desistebant frigore in capite et Acido mur. ℈j cum aqua ℥vj adhibito. Mane cum accuratius exploraretur in superiore sinistri humeri parte sub articulatione tumor est inventus pugni magnitudine, qui durus moveri non poterat. Magnus erat dolor, cum premeretur, et ossis continuitas dissociata. Aegrota usque ad hoc

tempus non erat questa de hoc malo. Tribus diebus post vehementi febri laborabat, atque signis spasmi cognitis die XVI. mens. Jan. 1857 est mortua. Morbus ille erat fungus, qui a cranii basi per os in cerebrum penetraverat, quam causam mortis fuisse in sectione apparebat. In brachio etiam exstiterat carcinoma.

18. Exstirpatio sarcomatis palati mollis.

C. Karsten, 42 annos natus, die XVIII. mens. Jul. in clinicum venit, cum laboraret neoplasmate, quod, palatum molle valde augens et deformans et ad polypi formam in fauces imminens sarcoma putabatur et a posteriore duri palati parte porrigebatur, ut ab hoc malo liberaretur. Nulla erant deglutiendi impedimenta, loquebatur de nare. Platinae ansa extemplo magna neoplasmatis pars sine ulla haemorrhagia et sine ullo paene dolore est sublata, qua in re tumorem etiam cum pharynge esse concretum apparebat. Paulo post vox multo erat clarior, atque ut aegrotus postea rediret ad reliquam neoplasmatis partem delendam, id quod usque ad hoc tempus non est factum, suadebatur.

10. Exstirpatio carcinomatis recti.

L. Sohns, 26 annos nata, quae nunquam habuerat menses, semperque minus commoda valetudine erat usa, cum alvo laboraret dura, aestate anni 1855 animadvertebat, in faecibus illis cum dolore conjunctis,

sanguinem simul demitti, atque in exteriore parte excrescentias fieri, quae usque ad tempus illud, quo recipiebatur, magis magisque creverant. Exploratione manifestum erat in posteriore recti latere nonnullos esse tumores carcinomatosos, sphincterem ani salvum. Itaque placuit tumoribus Lueri forcipe, quo loco sedebant, comprehensis, vi posteriorem recti parietem invaginare et, platinae ansa imposita, neoplasmata cum illa parte, ubi sedebant, tollere. Sed propter majorem recti laterum infiltrationem invaginatio non processit, quam ob rem die XV. m. Mart. 1856 cultro exstirpabatur, qua in exstirpatione magna haemorrhagia, quae ex arteriis sequebatur, platina candente et obturatione sisti poterat. Julio vero mense denuo recidiva exstiterant, ut majores in conspectum venirent excrescentiae in ipso ani ambitu molles atque fungosae.

Aegrota in latere sinistro posita, ansa tenuis et flexibilis primum circum inferiorem partem tumoris ita ducta, ut locis telae mucosae degeneratae infimis eum amplecteretur, ansa in tubos ducta, catena clausa, et paulisper tumor, omni haemorrhagia et doloris vocibus, quamvis chloroformii ope non esset sopita, deficientibus, erat exstirpatus. Operatio alterius in dextra ani facie affixi tumoris medio mense Decembri 1857 est perfecta; carcinoma in talem altitudinem sese porrexerat, ut vix ansa platinae id circumcingi posset. Tunc denuo aliae excrescentiae sentiebantur, quae, quum diathesis carcinomatosa non possit extingui, nova operatione num denuo tolli

possint, in dubium vocare licet. Itaque id unum agi potuit, ut quotidie plures fierent injectiones infuso florum Chamomillae et Morphium daretur ad dolores deminuendos. Semel explorabatur rectum speculo digitoque die XXIII. m. April. 1857, qua cum exploratione summi dolores erant conjuncti, atque sequebatur cancrum septum inter rectum et vaginam dirupisse, ut una esset magna cloaca, ex qua aegrota pro positione faeces tum per vaginam tum per rectum mittebat. Sine ulla causa, quae quidem posset cognosci, aegrota die X. m. Jun. 1857 in lecto vehementem habuit haemorrhagiam; medicus, qui aderat, lumen Art. prosilientis invenit, quod extemplo ligatura claudebatur. Etsi statim ligatura erat imposita tamen aegrota omnibus acutae anaemiae signis patefactis, paucis horis post est mortua.

20. Exstirpatio fibroidis uteri.

D. Beug, 28 annos nata, quae nondum pepererat, ante unum annum laborabat profusa metrorrhagia cum vehementibus doloribus conjuncta; quo ex tempore perturbati sunt menses, annoque progrediente haemorrhagia quater rediit, ut anaemica in clinico auxilium peteret. Languidiores sunt arteriarum ictus magnaque velocitate micant (104 Schläge.) Introitus vaginae est angustus, hymen deest. Media in vagina corpus sentitur laeve, rotundum, elasticum, quod digito potest circumscribi, magnitudine ovi anserini, et ad rectum magis inclinatum in excavatione

ossis sacri erat positum. Hoc neoplasma radice duos digitos crassa postico in labio port. vaginal. pendebat, ante quod orific. uteri, atque anterius labium port. vaginal. poterat sentiri. Tumor cum tangitur, etsi dolores non affert, sanguinis aliquid emittit, valdeque injectam habet superficiem. Cum ex exploratione neoplasma Fibroidum esse putaretur, ejusque exstirpatio prospero eventu futura esse videretur, die XI. mens. Octobr. 1857 operatio apparatu galvanocaustico est facta. Cum Lueri forceps semper de tumore delaberetur, fixatio ejus forcipe a Muzeux constructa erat necessaria, antea per platinae ansam transmissa. Ansa usque ad collum tumoris nonnullis difficultatibus, vagina angusta provocatis, ita est imposita, ut ansa anteriorem tumoris circuitum complecteretur, cum ansifer, ad lineam ducentem curvatus, esset post tumorem. Is, qui administrabat operationem, instrumentum et ansam tenebat in positione, famulus filum cochlea circumtorsa adstringebat, alius catenam claudebat; duabus minutis tumor apparebat. Cum in exploratione esset clarum ansam celerius esse adstrictam, ut magis persecuisset, quam cauterisasset, superficies sectionis, cauterio galvanico immisso celeriter, propter exiguam haemorrhagiam est cauterisata, vaginaque liquore ferri obturata. Operatione perfecta aegrota de vaginae ardore est questa, qui mox cedebat, neque alia fortasse re exstiterat, quam extensione in operatione facta. Rectum nonnullis clysmatibus est vacuefactum, et die XVII. m. Octobr. obturamentis

remotis, quotidie sunt irrigationes adhibitae. Exploratione die XXV. m. Octobr. facta apparebat, escharas esse ablutas, postici labii superficiem esse rubram, granulantem paucisque modo secretis contectam. Sinus ad rectum conversus plane potest sentiri. Die IX. mens. Novbr. 1857 sanata e clinico dimitti potuit.

21. Exstirpatio port. vaginalis uteri.

F. Peters, 44 annos nata, 15 annos nupta, sex circa menses laborabat vehementibus haemorrhagiis e vagina profectis, quibus ipsa valde est facta anaemica. Portio vaginal. uteri commutata est in tumorem (blumenkohlartig), pugni magnitudine, qui, cum tangitur, dolores quidem non affert, sanguinem autem demittit, ex quo extemplo foetidae massae dissolvuntur. Orific. uteri non potest sentiri, neque magis labium anterius a post. discerni. Sed stillicidium urinae est et retardatio alvi. Operatio die V. m. Novbr. 1857 facta: Aegrota chloroformio narcotisata in positionem ad lithotomiam aptam est adducta. Jam vero platinae ansa circumdatur neoplasmati, ut propter haemorrhagiam exspectandam effectus haemostaticus apparatus galvanocaustici possit adhiberi. Sed jam cum axis primum torqueretur, quo facto ansa magis neoplasmati circumtrahi debebat, platina dirumpebatur, itaque, cum platina satis magna non adesset, catena quassatoris (écraseur) ita est imposita, ut ansa anteriorem neoplasmatis circuitum complecteretur, tumorque resecaretur.

Haemorrhagia etsi minima exstitit, tamen, ut major vitaretur, superficies vulneris apparatu galvanico est cauterisata, et cum vagina charpia liquore ferr. madefacta et xylino (Watte) esset obturata, introitus vinculo hujus (T) forma est vinctum. Haemorrhagia postea non est facta, ne tum quidem cum eschara detruderetur; dolores ipsi erant minimi, atque aegrota bona diaeta et tinct. ferri acet. adhibita praeter opinionem ita convalescebat, ut jam die XX. mens. Novbr. 1857 posset dimitti. Postea autem recidivum exstitit.

22. Carcinoma epitheliale uteri.

Schultz, 38 annos nata, antea semper fuerat bona valetudine, et quattuor peperit liberos. Cum per sex jam annos laboraret hepate, valde emacuit, inprimis post partum postremum. Dicit se sex menses perpetuis haemorrhagiis et foetidis e vagina effluviis conditionem suam animadvertisse. S t a t. p r a e s. Glandulae inguinales mediocriter sunt tumidae, neque vero dolores afferunt. Externa genitalia etsi laxa tamen sunt normalia. Specillo tumor sentitur, qui, cum tangitur, sanguinis aliquid mittit. Mixtae cum hoc sanguine sordes effluunt foetidae. Orif. uteri excrescentiis occultum non potest inveniri et posteriore parte carcinoma in vaginam transit. Ceterum, quamquam magna est haemorrhagia, neoplasma a fronte et ab utroque latere potest circumscribi. Haec portionis vaginal. pars tumescit atque dura est. Hic casus ad exstirpationem aptus

videbatur, eodemque die illa apparatu galvanico propter anaemiam est facta. Neoplasmate forcipe a Muzeux constructa detracto, platinae filum circumponitur, ita ut ansa in postica, constrictor ansae in anteriore sit parte. Nullis difficultatibus pars ab ansa comprehensa removebatur, neque vero potuit fieri, id quod exploratione est apertum, quin pars relinqueretur. Itaque altera ansa ad carcinoma radicitus exstirpandum imponitur ita, ut constrictor in postica parte sit, cum portio vaginal. protrahatur forcipe Lueri. Magna erat pars, sed etiam peritonei aliquid, recto integro, id quod digito inducto ostendebatur. Pars exstirpata diametrum habuit unius digiti, formamque trianguli, et ex Douglasii plica erat extracta. Extemplo adhibebantur obturationes sicca cum charpia, tum obturamenta liquore ferri madefacta, ne haemorrhagia postea fieret. Praeterea autem opium q. s. dabatur. Post meridiem vomitio est concitata. Tum somnus aegrotam complectebatur, atque dolores frigusque apparebant. Arteriarum pulsus centum erant. Nocte nonnunquam somnus accessit. Aegrota die XXII. mens. Mart. 1858 est mortua.

27. Exstirpatio tumoris cavernosi in glabella.

F. Eickert, tres annos et dimidium nata die II. mens. Mart. 1857 in clinicum est missa, ut a tumore ovi columbini magnitudine, qui mox post partum exstiterat atque semper magis creverat, liberaretur. Proximo anno in lapidem acutum in-

ciderat, quo facto tumor apertus, cum sanguis multus prosiliret, deminuebatur. Haemorrhagia difficile sedata, tumor denuo celeriter est impletus. In tumoris superficie multae sunt teleangiectasiae. Primus sanandi conatus per quinque minutas electropunctura factus est, et aliquot diebus post per decem minutas est repetitus. Atque profecto tumor et minor et durior erat. Tum postea cultro galvanocaustico in cute super tumorem sulci longitudinales cauterisabantur, ut tum calore vasa obliterarentur, tum tumor posteriore cicatricum contractione agitaretur. Cum lineae traherentur, e ramo quodam Art. frontal. sanguis prosiliebat, qui, cum Galvanocultro rursus tangeretur, extemplo claudebatur. Cicatricum contractio in posteriore therapia est aucta, cum tangeretur Arg. nitric. Sanata puella est domum dimissa, atque ut feriis actis remitteretur ad totum malum sanandum, est postulatum. Die IX. mens. Novbr. 1857. puella valida rediit; tumor est planus, et teleangiectasiae locum tenet rubicunda cicatrix, tumor videtur comprimi posse, et in clamitando crescit. Collodium cantharid. illinitur, vesica quae exstitit, aperitur; epidermis pars removetur, et liquore ferri infunditur, ut in cavernoso tumoris textu coagulatio efficeretur, Broka auctore. Cum infunderetur liquor, magni aderant dolores, magnumque exstitit oedema frontis et palpebrarum cum febri conjunctum. Therapia gravi et antiphlogistica paulo post hic status in meliorem est commutatus

partem. — Die XVIII. mens. Mart. 1858 in narcosi chloroformio effecta, tumore cultro caustico circumciso, ovalis ejus pars tamquam funditus est sublata. Haemorrhagia erat exigua, et, ut putamus, respirationis impedimentis adjuta. Basi satis cauterisata vulnus xylino et emplastro adhaesivo est vinctum et vesica glacie repleta applicata. Proximo die neque oedema neque dolores nec febris aderant. Haec una operatio suffecit ad perfectam sanationem, cicatrice satis exigua efficiendam.

28. Exstirpatio et cauterisatio condylomatum.

R. S. 18 annos natus, Idibus fere mens. April. cum blennorrhoea urethrae undecim hebdomades cum orchitide a sinistro latere et cum glandularum inguinalium tumore tenuisset, in glande penis et subrubras maculas et tria parva condylomata adesse animadvertebat, juxta quae ex commemoratis illis maculis plurima nova excrescebant condylomata. Die XX. mensis Octbris 1859 tota glans praeter parvam superioris lateris partem contecta est cumulis condylomatum (blumenkohlartig), quae primum quidem Galvanocultro removebantur. Cum autem nimia esset haemorrhagia, operatio tardius procedebat, quam ob rem cum cetera condylomata forfice a Cooper constructa essent sublata, superficies extemplo Cauterio galvanico cauterisabatur. Operatione confecta vinculum cum charpia impo-

nebatur, frigidaque cataplasmata imperabantur. Die XXV. m. Novbr. 1859. aegrotans, usus inunctionis curatione, sanus est dimissus.

29. Exstirpatio linguae.

E. Block, 53. annos natus, jam ante unum annum in clinico nostro chirurgico operatione a linguae tumore est liberatus, qui in dextro erat linguae latere et linguae parte excisa delebatur; exploratio tumoris demonstravit, esse id carcinoma epitheliale. In lingua est ex priore operatione cicatrix radialis et trifariam divergens; quo loco tres radii confluunt, tumor est unius grossi magnitudine, superficie verrucosa, contectus pauco secreto subflavo, qui superficiem linguae, quae circum est tribus vel quattuor digitis superat, et cum tangitur, non tam dolores affert, quam sanguinem mittit. Cum lingua jam priore partis excisione esset brevior, et tumor quattuordecim dies non penitus per linguam penetrasse videretur, placuit exstirpationem infirmae partis efficere non per totam linguae crassitudinem, cum galvanocaustica haemorrhagia reprimi possit. Die IV. m. Jan. 1857 cultro galvanico tumor in utraque parte duobus tractibus ovalibus est circumdatus, aliisque ejusmodi tractibus, inter se propinquis, quam altissime exstirpatus, et basis exorti cavi cultro lato valde causterisata. Tota operatio mox erat perfecta, nulla exorta haemorrhagia. Aegrotus, qui post narcosim de doloribus non querebatur, saepe os

frigida aqua eluere neque aliis nisi liquidis rebus frui debebat. Proximis diebus lingua satis erat tumida, neque vero aegrotus, quominus deglutiret aut loqueretur, impediebatur. Eschara dissoluta propter oris cavum semper humidum, tumore Tinct. Myrrh. saepe illito os tepido infuso florum Chamomillae eluebatur. Contractio tumoris initio late distantis celeriter processit, sed sanatione non perfecta aegrotus die XVI. m. Jan. 1857 e clinico est dimissus.

33. Exstirpatio unguis hallucis.

A. C. unum et viginti annos natus, incarnatione laborabat unguis sinistri pedis; omnes, quae antea erant factae operationes, malum auxerant. In exstirpatione nullus paene sanguis effluit, sed, cum postica sectio in transversum facta altius esset reactione exigua partialis necrosis ultimae phalangis ostendebatur, et die II. mens. Aug. parvus est remotus sequester. Die XVIII. m. Aug. aegrotus sanatus est dimissus.

34. W. Cr. octodecim annos natus, eodem laborabat morbo utriusque pedis; die XX. mens. Jul. 1859. lecto unguis cultro galvanocaustico circumsecto, ungues in utroque pede forcipe sunt remoti, atque lectus ipse lata parte cultri est cauterisatus. Haemorrhagia, cum locus esset sanguine repletus, erat mediocris; septem diebus post eschara detruditur, qua in re fiebat haemorrhagia. Cicatrisatio ab apice digiti pariter in utraque parte procedit,

itaque aegrotus die VII. mens. Aug. 1859. est dimissus.

Denique, ut de Cauterisationibus nunc dicamus, plurimi illi et diversi casus, in quibus cauterisationes apparatu galvanocaustico sunt factae, pro fine operationum in diversas partes possunt dividi.

a) Multo crebrius, quam in tabula commemoravi, apparatus est adhibitus ad saccum lacrymalem et ductum nasolacrymalem delendum, plurimisque in casibus felicissimo eventu; qua in re minime est necessarium speculo eburneo uti, cum ardor in tam exiguum sit condensatus spatium, ut periculosus oculo minime fieri possit. Quibus in casibus valde est cauterisatum, eventus erat felicissimus; nunquam enim ossis lacrymalis exstitit necrosis, quin etiam saepenumero magnum vulnus granulationibus ita est sanatum, ut postea nulla paene cicatrix posset videri (Nr. 40). Recidiva nonnulla exstiterunt (Nr. 38 et 39) fortasse, quod recessus non satis vehementer est cauterisatus.

b) Virtus illa ardoris candentis vegetationem augens saepe est in cujusque modi ulceribus adhibita; in ulceribus luposis, scrophulosis, torpidis effectus pro ratione erat praeter opinionem magnus, excellentissimus autem in ulceribus portionis vaginal. uteri; sed animadvertendum, inter viginti quinque illos casus, in quibus apparatus in ulceribus port. vagin. uteri est adhibitus, quorum nullum commemoravi, in tribus casibus Perimetri-

tidis signa exstitisse, quae tota adaequabant ea, quae uteri injectiones saepe sequebantur.

c) Sine ullo effectu apparatus in casibus illis, quos sub Nr. 52, 53, 54, 55, 56 commemoravi, est adhibitus, neque vero in singulis casibus contemplandis id bonae apparatus famae nocebit.

d) Cicatricum contractio cauterisationes secuta optimo eventu ad cilia in Trichiasi evertenda est adhibita, ut saepe turbationes, quae in cornea exstiterant, ex parte evanescerent. Ex fistulis labialibus urethrales et vesicovaginales etiam saepe repetitis cauterisationibus (in casu illo sub Nr. 67. certe quindecies) plane claudi non poterant, cum aperturae usque ad minimam partem essent deminutae.

e) In fistulis cauterisandis aut scindendis galvanocaustica utilem sese semper praestitit, cum ardore candente fistulae membrana deleatur, et virtute ardoris candentis vegetationem augente bonae exsistant granulationes, quibus vulnus mox concluditur.

f) Ut partialis ossium necrosis efficeretur, sicut in casu sub Nr. 80, ardor candens, ut fere semper in ossium operationibus praeter tenuiorum et recentiorum, minus erat valida.

37. Cauterisatio sacci lacrymalis.

E. Ahrends, 20 annos natus, unum paene annum laborabat blennorhoea sacci lacrymalis dextri, in quam diversa sunt remedia frustra adhibita. Colly-

ria e zink. sulf. et argent. nitr. composita, quae Aneli siphone in saccum lacrymalem antea purgatum inducebantur, et scissio sacci lacrymalis die XV. mens. Jun. 1855 effectu caruerunt, quamobrem die V. mens. Aug. ejusdem anni saccus lacrymalis iterum scissus apparatu galvanico cauterisatus est ad saccum lacrymalem et ductum nasolacrymalem delendum. Qua in re oculus a radiis caloris cauterii sacci lacrymalis parvo speculo eburneo defendebatur. Proximo die oedema palpebrae exstitit, quod paucis diebus post frigidis fomentis adhibitis evanescebat. Die XI. mens. Aug. eschara solvebatur ad magnam latitudinem, ut, cum ex dextro naso pus emanaret, in ductum nasolacrymalem penna posset induci. Tum vinculum est adhibitum cum Ungt. basil.: atque aegrotus die XXVIII. mens. Aug. dimitti potuit, quum vulneris superficies ad cicatrisationem appropinquaret. Proximo mense aegrotus apparuit, atque vulnus tum totum cicatrice erat obductum, ita, ut, quo loco operatio esset facta, vix posset cognosci. Contra levem epiphoram collyria adstringentia sunt data.

38. Cauterisatio sacci lacrymalis.

L. Voss, 28 annos nata, laborabat lupo tuberculoso faciei, exulcerante gingivae, conjunctivitide chronica; cum diu jam esset in clinico curata, die XVII. mens. Jun. 1859 propter blennorrhoeam sacci lacrym. est secta. Saccus lacrymalis acuto cultro scindebatur, et platina cand. cauterisabatur. Ductus nasolacrymalis primum quidem est impermeabilis.

tribus autem diebus post tenue specillum in illum potest introduci. Vulnus praeclare granulabat. Cum aegrotans die VII. mens. Septbr. clinicum statim relinquere cogeretur, etsi vulnus erat sanatum, superior sacci lacrymal. pars non tota erat deleta, cum et sua sponte et Aneli siphone ex superiore puncto lacrymali muci copia dimitteretur. Hic recessus die XX. m. Decebr. 1859. cauterio galvanico est deletus, et usque ad hoc quidem tempus prospero eventu.

57. Cauterisatio palpebrae sup.

H. Kraeft, 15 annos natus, jam diu Trichiasi laborabat. Cum semper ciliis cornea tangeretur, macula exstitit in ea leucomatosa, cujus inferior pars est fortior, et in superiore parte paulatim evanescit. Die II. m. Jul. 1859. Jaegeri forcipe entropium sananda cutis comprehensa amputatur, et fibrae aperte sphincteris oculi persecantur. Tum vulnere suturis nodosis conserto, frigida cataplasmata imponuntur. Die V. m Jul. h. s. 59. supra marginem ciliarem palpebrae sup. paribus semper intervallis, alta fit cauterisatio linearis cultro galvanico, qua in re bulbus Jaegeri lamina cornea defendebatur. Cum haec operatio tribus diebus confectis repetatur, cicatricum contractione, quae efficitur, margo ciliaris ita in externum vertitur, ut cilia corneam attingere non possint. Cum autem adversus prosperum eventum nonnulla cilia, quae prope una consistunt, corneam attingant, pars illa exigua marginis ciliaris die II. mens. Aug. cum radicibus pilorum tol

litur. Cal. Septbr. cornea jam adeo erat clara, ut aegrotus posset dimitti.

62. Cauterisatio rectoceles vaginalis.

F. Moritz, 40. annos nata, postquam sextum peperit prolapsum vaginae fieri animadvertit, quam ad rem in vehemente vomitu magna accedebat hernia umbilicalis. Stat. praes. die I. mens. Jun. 1859. Tegumenta abdominis laxa sunt, in regione umbilicali tumor major pugno, unde saccus existit externis tegumentis factus, in quo quod continebatur, cum aegrotans resupinus jaceret, facile poterat reponi. E vulva prorumpebat tumor subrubicundus, mollis et undique laevis, facilis ad reponendum. Magnis labiis distractis ante tumorem illum videbatur minor, cujus superficies erat e transverso plicata, unde inferiorem eam partem esse lateris vagin. anter. intellectum est. Digito in rectum inducto in saccum quemdam perveniebatur, cujus externum latus efficitur tumore illo majore, quem supra commemoravimus. Ad sanandam hanc rectocelen vaginal. die XVII. m. Jun. 1859. prolapsus lateris illius vaginal., quod erat a tergo, platina cand. cauterisabatur orbiculatim digito e recto in saccum illum introducto. Prosper erat eventus, cum cicatricibus contractis posticum latus vaginale reprimeretur. Postquam alterum etiam malum Arnaudi curatione (Bardeleben, Lehrbuch der Chirurgie, Bd. III, pag. 736.) in melius est commutatum, die XXVII. mens. Aug. 1859. ex animi sententia est dimissa.

63. Cauterisatio fistulae stercoralis.

G. Hübenbecker, 58. annos natus satisque valido habitu, die XXV. m. Jun. 1857., cum duae ei essent aperturae fistularum inter spin. ant. sup. oss. il. sin. et tuberc. pub. in clinicum est receptus. Utraque apertura oblongam habet formam, cutis circuitus radiatim est plicata. Ex aperturis, quae non eodem tempore exstitisse videntur, stercus effluit, quod facile potest exprimi, cutemque, quae circum est, excoriavit. Cum specillo exploraretur, inveniebatur fistulas inter sese communicare, cum specillum in unam aperturam posset introduci, ex altera educi; neque vero promontorium poterat inveniri. Neque vero solum ex hac fistula, sed etiam ex ano faeces mittebantur. Atque verisimile est fistulam stercoralem esse crassi intestini atque ante tredecim circa annos colitide exstitisse. Die IX. mens. Jul. 1857. pons, qui erat inter duas fistulae aperturas, dissociabatur, ut una fieret fistula. Quinque diebus post apertura fistulae et circuitus platina cand. cauterisabatur, ut circularibus cicatricum contractionibus apertura minueretur. Intestinum ipsum charpia a caloris radiis defendebatur. Eodem tempore etiam Dieffenbachii sutura (Schnürnaht) facta emplastro adhaesivo injecto, frigida imponebantur cataplasmata, atque clysmata idoneaque diaeta imperabantur. Die XVIII. m. Jul. sutura cum persecuisset, poterat removeri; a die XX. m. Jun. stercus paene nullum e fistula elabitur, et aegrotans die XXX. mens. Jul. e lecto surgere poterat. Attamen cauterisatio bis erat

repetenda, et, priusquam plane esset sanatus, aegrotans clinicum reliquit.

76. Diffissio fistulae in regione sacrali.

F. Bockhahn, 36 annos natus, ante duos annos ungula equi erat in dextro latere ossis sacri pulsus; multo post tempore fortuito eo loco tumorem esse parvum animadvertebat, qui paullatim usque ad pugni magnitudinem crescebat, nuperque rumpebatur, qua in re multitudo puris cum sanguine mixti emittebatur. Die XXI. mens. Octobr. 1859. in clinico est exploratus. Quinque fere digitos ab ano remotus atque in dextra parte ab ani rima unum digitum et dimidium, est aditus fistulae canalis, quem curvo specillo sursum et oblique per complures potes persequi digitos. Specillo os durum potest sentiri, quod nusquam neque asperum neque nudatum est. Canalis sursum galvanocultro in specillo cavo posito diffinditur. Per fistulam ea in parte, in qua altera est apertura quinque digitos remota, platinae filum perducitur in ansiferum, atque musculus glutaeus maximus usque ad longitudinem quinque digit. et ad crassitudinem unius digiti et dimidii sine ulla haemorrhagia persecatur. Postquam diu balneis usus est aegrotus, die XXV. mens. April. 1860 sanatus poterat dimitti.

77. Cauterisatio teleangiectasiae.

M. Schubbe, sex menses nata, cum teleangiectasia magnitudine duorum grossorum in fossa su-

praspinata dextr. in lucem est edita. Cum fere ante sex hebdomades in ea parvae ulcerationes paterent, paulatim confluentes et magnum ulcus formantes, die XXX. mens. Aug. 1855 in clinicum est recepta. Tum proximo die cultro galvanocaustico teleangiectasia toto in circuitu mediocriter profundo cutis sulco circumdata, ejusque tota superficies est cauterisata. Post operationem fomenta adhibebantur frigida. Tertio die liquoris ferr. aliquid addebatur, quod, cum infans doloribus vexaretur, mox demi debebat. Die XVIII. m. Septbr. aegrota est dimissa, cum sanationem bene processuram sperare possemus.

79. Cauterisatio sacci varicosi cruris.

C. Amtsberg, 28 annos natus, in articulationis genu interiore parte saccum habebat venosum, magnitudine volae manus, qui et doloribus eum affeciebat, et ne rumperetur, timore. Aequalis per diuturnum tempus involutio inferioris extremitatis nullo paene fuerat eventu. Die V. mens. Aug. 1855 petente aegroto, saccum venosum apparatu galvocaustico claudere tentavimus. Ansa platinae in acum longam, cujus caput erat perforatum, inserebatur, tum acus ansaque per transversum saccum ab altera parte ad alteram percutiebatur, et acu reducta, ansaque in ansiferum inserta batteria galvanica clausa est, quo facto ansa candescebat, et in serrae tractibus in vena ultro citroque tracta est. Ex vulnere acu puncto statim multus sanguis profluxit, attamen simul ac catena est clausa, cessavit. Ansa in serrae

modum ducta paulatim arctius constringebatur, quomodo parietes sacci venosi propemodo persecabantur, et parva tantum cutis pars in peripheria sup. sita restabat. Aegrotus, quamvis penitus esset narcotisatus, tamen doloris voces assiduo edidit. Supra locum cauterisatum nusquam thrombus est formatus, gravis reactio mollium partium proxime sitarum loco cauterisato non aderat, ne parvus quidem cutis ruber oculis se praebebat. Tertio die vulnera icta suppurare incipiebant, et paucis diebus post eschara detrudebatur. Plane erat saccus varicosus conclusus, atque aegrotus Cal. Septbr. est dimissus.

80. Cauterisatio ossium prominentium pedis.

C. Lass, 28 annos natus, cum die VIII. mens. Jan. 1857 in itinere pedestri diu deberet nivem peragrare, pedes frigidissimos paene emori animadvertebat, quam ob rem nive eos terebat. Cum domi etiam diu ii essent triti, et postea frigida imponerentur cataplasmata, pes bullis albi liquoris contegebatur. Tum pede xyl'no circumvoluto, magna fiebat suppuratio, planeque cutis detrudebatur. Uno nondum anno peracto etiam digiti pedis, ossa metatarsi atque tarsi usque ad Choparti articulationem erant detrusa. Trunco, qui reliquus erat, granulationibus obruto, cicatrices ducebantur mense April. 1858. — Stat. praes. die XV. m. Octobr. 1859. Tota inferior sinistrae extremitatis pars est grandi macie torrida, inprimis crus, in quo pro pede tumor est globosus. Tumor ille a tergo calce, a fronte tenui

cicatrice, in qua locus inest exulcerans, est finitus Tendo Achillis valde est intensa, anteriores partes calcanei et tali declives sunt positae sub tenuissima illa cicatrice, quae cum illis est concreta. Cutis calcis crassa est. Flexiones trunci atque extensiones fieri possunt. Ut aegrotans non tenui cicatrice, sed dura calce niteretur, primum sub cute intensa Achillis tendo resecabatur. Tum paucis diebus post locus ille cicatricis exulcerans cauterisabatur. Cauterio galvanico, quod in tarsi osse applicabatur, ut ossis pars necrosi detruderetur, et in cicatricis superficie cutis minus esset, contensa. Multo jam confecto tempore, in osse cavum, etsi minimum, cauterisabatur, quo facto pes balneo permanenti inferebatur usque ad diem XXII. mens. Novbr. Vinculo tum unguento imposito die XXIX. mens. Novbr. ossis illius jam detrusi, pars, forcipe Lueri (Hohlmeisselzange) est sublatum. Granulationes vehementer luxuriabantur, cicatrices tarde ducebantur, cum cutis valde semper esset contensa. Die VI. m. Febr. 1860 aegrotus non sanatus est dimissus, cum etiam cicatrices recentiores essent dissolutae.

Accedit in fine index omnium eorum casuum, in quibus hoc in clinico nostro apparatus galvanocausticus adhibebatur. Plurimos illos casus, in quibus saccus lacrymalis delebatur, aut portio vaginalis uteri cauterisabatur, enumerare longum mihi visum est.

VITA.

Natus sum Gustavus Goedel die XVII. mensis Aprilis a. h. s. XXXVI in urbe Ascaniae, cui nomen est Oranienbaum, patre Henrico, matre Christiana e gente Schmidt, quos adhuc vivos pio gratoque animo veneror. Fidem profiteor evangelicam. Primis literarum elementis imbutus, gymnasium Torgovanum, quod tunc florebat rectore Sauppe frequentavi, ubi quinque annos et dimidium moratus, maturitatis testimonium adeptus sum. Tempore auctumnali a. h. s. LIV. in almam musarum sedem Gryphiam me contuli, ubi ab Ill. Beseler, t. t. Rectore magnifico civibus academicis adscriptus apud Ill. Münter, t. t. gratiosi philosophorum ordinis Decanum maxime spectabilem nomen professus sum. Unum semestre in literis philosophicis versatus ab Ill. Haeser, gratiosi medicorum ordinis Decano spectatissimo in album facultatis medicinae relatus sum. Per octo semestria his scholis interfui:

Beat. Stiedenroth: de logice; de psychologia.
Beat. Tillberg: de algebra; de astronomia; de physice.
Ill. Grunert: de mechanice; de geometria analytica.
Exp. Pyl: de historia artis recentioris.

Ill. **Münter**: de botanice; de zoologia; de botanice medica; eundem in excursionibus botanicis secutus sum.

Ill. de **Feilitzsch**: de physice experimentali.

Ill. **Hünefeld**: de mineralogia; de geologia et geognosia; de chemia anorganica et organica; idem in exercitationibus chemicis dux mihi fuit.

Ill. **Trommer**: de bromatologia.

Ill. **Haeser**: de encyclopaedia et methodologia medicinae; de pathologia et therapia generali; de semiotice et diagnostice; de historia medicinae.

Ill. **Schultze**: de osteologia et syndesmologia; de anatomia corporis humani, de anatomia comparata, de histologia, de physiologia; de arte cadavera rite dissecandi.

Cel. **Laurer**: de materia medica; de toxicologia; de fontibus salubribus; de arte fascias chirurgicas rite alligandi.

Exp. **Bengelsdorff**: de arte formulas medicaminum rite concinnandi.

Exp. **Haeckermann**: de intoxicationibus; de medicina forensi; de politia medica.

Cel. **Pohl**: de anatomia pathologica; de syphilide.

Ill. **Budge**: de embryologia; de anatomia microscopica; idem dux mihi fuit in exercitationibus physiologicis.

Ill. **Bardeleben**: de chirurgia; de akiurgia; de ossium fracturis et luxationibus; de ophthalmiatrice; de morbis capitis chirurgicis; idem dux mihi fuit in operationibus chirurgicis in cadaveribus institutis.

Ill. **Niemeyer**: de pathologia et therapia speciali; de morbis organorum uropoëticorum, de morbis psychicis et cerebri.

Cel. **Eichstedt**: de arte obstetricia; de operationibus obstetriciis.

Exp. Ziemssen: de auscultatione et percussione; de morbis cutis; de syphilide; idem in exercitationibus practicis de diagnostice physica dux mihi fuit.

In clinico chirurgico et ophthalmiatrico Ill. Bardeleben, in medico Ill. Niemeyer, in obstetricio Cel. Eichstedt et Ill. Pernice duces mihi fuerunt humanissimi ac benevolentissimi. Quibus omnibus viris maxime colendis ac plurimum de me meritis gratias ago quam maximas, imprimis Ill. Hünefeld, cujus insigni erga me favore factum est, ut munere assistentis in instituto chemico per nonnulla semestria fungerer.

THESES.

I.

Methodus „écrasement linéaire“ dicta pyaemiam non tam certo prohibet quam methodus galvanocaustica.

II.

Limes certus inter animalia atque plantas nullus.

III.

In operatione cataractae nulla e variis methodis consequenter adhibenda est.

IV.

Hepatis arteriae sanguis in bilificatione partem habet.

V.

Transire possunt corpuscula solida e tractu intestinali in sanguinem.

VI.

Cuprum sulfuricum venenum non est.

VII.

Methodus varicoceles curandae, quae secundum Vidal „enroulement“ nominatur, optima.

No.	Receptio.	Nomen.	Genus m.	Genus f.	Aetas.	Diagnosis.	Operatio.	Instrumentum galv.	Dimissio.	sanat.	correct.	mort.	Annotatio.
1.	$\frac{22}{5}$ 57.	Stein	1	—	10	Aneurysma anastomoticum	Amputatio.	6.	$\frac{7}{12}$ 59.	1	—	—	pag. 15.
2.	—	v. B.	1	—	$\frac{1}{2}$	Digiti superflui		6.	—	1	—	—	pag. 16.
3.	$\frac{17}{5}$ 56.	Meinow	1	—	50	Subluxatio digiti IV. pedis		6.	polikl.	1	—	—	pag. 17.
4.	$\frac{4}{3}$ 58.	Zornow	1	—	15	Fractura patellae complic.		6.	—	—	—	1	pag. 17.
5.	$\frac{12}{5}$ 55.	Erck	1	—	47	Carcinoma epitheliale penis		6.	$\frac{10}{6}$ 55.	1	—	—	pag. 19.
6.	$\frac{26}{10}$ 55.	Passow	1	—	67	Carcin. epithel. penis		6.	$\frac{21}{11}$ 55.	1	—	—	pag. 19.
7.	$\frac{11}{8}$ 59.	Stege	1	—	$\frac{1}{2}$	Cancer melanodes ossis incisivi	Resectio et Exstirpatio.	1. 4. 2.	$\frac{22}{8}$ 59.	1	—	—	pag. 20.
8.	$\frac{5}{7}$ 59.	Paul	1	—	$\frac{1}{2}$	Labium leporin. dupl.; os incis. promin.		6.	$\frac{7}{8}$ 59.	—	—	1	pag. 21.
9.	$\frac{4}{12}$ 56.	Grell	—	1	26	Caries arcus zygomat. et fistula		6.	$\frac{26}{2}$ 57.	—	1	—	pag. 22.
10.	$\frac{5}{5}$ 55.	Hammel	1	—	—	Neuralgia nervi trigemini		6.	polikl.	—	1	—	pag. 23.
11.	$\frac{14}{3}$ 60.	Martens	1	—	$\frac{1}{6}$	Tumor coccygeus		6.	$\frac{17}{3}$ 60.	—	—	1	pag. 24.
12.	$\frac{21}{3}$ 59.	Weidmann	—	1	49	Fibroidum uteri		6. u. 2.	$\frac{27}{3}$ 59.	—	—	1	—
13.	$\frac{12}{5}$ 55.	Glawe	1	—	18	Polypi narium et faucium		6.	$\frac{10}{4}$ 57.	1	—	—	pag. 26.
14.	$\frac{22}{6}$ 58.	Buchholz	1	—	29	Polypi narium et faucium		6.	polikl.	1	—	—	pag. 30.
15.	$\frac{26}{3}$ 56.	Kohl	1	—	30	Polypi narium et faucium		6.	—	1	—	—	
16.	$\frac{12}{5}$ 57.	Hübenbecker	1	—	49	Polypi recti		6.	$\frac{17}{5}$ 57.	—	—	1	pag. 31.
17.	$\frac{16}{5}$ 56.	Peters	—	1	38	Fungus antri Highmori		6.	$\frac{16}{1}$ 57.	—	—	1	pag. 32.
18.	$\frac{18}{7}$ 59.	Karsten	1	—	42	Sarcoma palati mollis		6.	polikl.	1	—	—	pag. 35.
19.	$\frac{6}{2}$ 56.	Sohns	—	1	26	Carcinoma recti recid.		6.	$\frac{10}{6}$ 57.	—	—	1	pag. 35.
20.	$\frac{14}{10}$ 57.	Beug	—	1	28	Fibroidum portionis vagin. uteri		6. 2.	$\frac{9}{11}$ 57.	1	—	—	pag. 37.
21.	$\frac{5}{11}$ 57.	Peters	—	1	44	Carcin. portion. vaginal. uteri		6.	$\frac{20}{11}$ 57.	—	1	—	Ecraseur $\frac{22}{3}$ 58. recid. pag. 39.
22.	$\frac{20}{3}$ 58.	Schultz	—	1	38	Carcin. epithel. uteri		6.	$\frac{22}{3}$ 58.	—	—	1	pag. 40.
23.	$\frac{18}{1}$ 59.	Schaechtel	—	1	57	Epithelioma vulvae		2.	$\frac{7}{2}$ 59.	1	—	—	Ecraseur.
24.	$\frac{17}{5}$ 59.	Männchen	1	—	31	Prolapsus tumor. haemorrh.		6.	polikl.	1	—	—	
25.	$\frac{6}{5}$ 57.	Boelkow	—	1	24	Varix magnus vaginae		6.	$\frac{20}{5}$ 57.	1	—	—	gravida.
26.	$\frac{23}{11}$ 57.	Rode	—	1	$\frac{3}{4}$	Teleangiectasia labii super.		6.	polikl.	1	—	—	
27.	$\frac{2}{3}$ 57.	Eickert	—	1	$3\frac{1}{2}$	Tumor cavernosus		1.	$\frac{24}{3}$ 58.	1	—	—	pag. 41.
28.	$\frac{20}{10}$ 59.	Sp.	1	—	18	Condylomata		1. 2.	$\frac{25}{11}$ 59.	1	—	—	pag. 43.
29.	$\frac{4}{1}$ 57.	Block	1	—	53	Carcin. linguae recid.		1.	$\frac{16}{1}$ 57.	1	—	—	pag. 44.
30.		N. N.	1	—	—	Carcin. linguae		6.	polikl.	—	1	—	
31.	$\frac{21}{2}$ 59.	Lühder	—	1	51	Carcin. linguae		6.	polikl.	1	—	—	
32.	$\frac{1}{5}$ 58.	Hagemann	1	—	36	Incarnatio unguis		1.	polikl.	1	—	—	
33.	$\frac{6}{7}$ 59.	C.	1	—	21	Incarnatio unguis		1.	$\frac{18}{8}$ 59.	1	—	—	pag. 45.
34.	$\frac{20}{7}$ 59.	Cr.	1	—	18	Incarnatio unguis		1.	$\frac{7}{8}$ 59.	1	—	—	pag. 45.
35.	$\frac{18}{7}$ 59.	Hoppe	—	1	42	Onychomycosis		1.	polikl.	1	—	—	
36.	$\frac{20}{7}$ 59.	Barkow	1	—	19	Incarnatio unguis		1.	polikl.	1	—	—	
37.	$\frac{5}{8}$ 55.	Arends	1	—	20	Dacryocystoblennorrhoea	Cauteris.	3.	$\frac{28}{8}$ 55.	1	—	—	pag. 47.
38.	$\frac{17}{6}$ 59.	Voss	—	1	28	Dacryocystoblennorrhoea		3.	$\frac{20}{12}$ 59.	1	—	—	recid. p. 48.
39.	$\frac{4}{7}$ 59.	Lange	—	1	10	Dacryocystoblennorrhoea		3.	polikl.	—	1	—	recid.
40.	$\frac{5}{6}$ 58.	Michling	1	—	39	Dacryocystoblennorrhoea		3.	polikl.	1	—	—	
41.	$\frac{5}{5}$ 59.	Struck	—	1	15	Lupus hypertroph. nasi et gingiv. Dacryocystoblennorrh.		1. 3.	$\frac{28}{8}$ 59.	—	1	-	

No.	Receptio.	Nomen.	Genus m.	Genus f.	Aetas.	Diagnosis.	Operatio.	Instrumentum galv.	Dimissio.	sanat.	correct.	mort.	Annotatio.
42.	$\frac{23}{3}$ 59.	Kenning	—	1	14	Lupus exulcerans labii sup.		1.	$\frac{6}{4}$ 59.	—	1	—	
43.	$\frac{7}{2}$ 57.	Lorenz	1	—	18	Lup. narium, lab. sup., gingiv.		1.	$\frac{2}{2}$ 57.	—	1	—	
44.	$\frac{24}{10}$ 59.	Starck	—	1	29	Lupus exulcerans		1.	$\frac{4}{11}$ 59.	—	1	—	
45.	$\frac{17}{1}$ 57.	Timm	—	1	17	Necrosis tibiae dextr. Ulcera scrofulosa in collo		1.6.	$\frac{2}{2}$ 58.	—	1	—	
46.	$\frac{25}{4}$ 60.	Wittenberg	1	—	$\frac{1}{2}$	Ulcus labii inf.		1.	polikl.	1	—	—	
47.	$\frac{1}{3}$ 58.	Spannagel	1	—	37	Ulcera cruris		2.	$\frac{20}{5}$ 58.	—	1	—	
48.	$\frac{16}{3}$ 59.	Puttpreis	—	1	17	Ulcera cruris		2.	$\frac{3}{5}$ 59.	1	—	—	
49.	$\frac{6}{8}$ 55.	Heyden	—	1	41	Carcinoma mammae recid.		2.	$\frac{14}{10}$ 55.	—	—	1	
50.	$\frac{8}{8}$ 59.	Haak	1	—	68	Tumor colloides in pectore		2.	$\frac{3}{11}$ 59.	—	—	1	
51.	$\frac{23}{11}$ 57.	Ehrke	—	1	68	Tumor carcin. palpebr. inf.		2.	polikl.	—	1	—	
52.	$\frac{23}{6}$ 57.	Schümann	1	—	59	Ischias rheumatica		1.	polikl.	—	—	—	
53.	$\frac{29}{6}$ 57.	Becker	—	1	30	Ischias rheumatica		1.	$\frac{1}{7}$ 57.	—	—	—	
54.	$\frac{15}{4}$ 56.	Wendt	—	1	42	Coxarthrocace rheum.		1.	polikl.	—	—	—	
55.	$\frac{3}{2}$ 57.	Wachsmuth	1	—	38	Arthroxerosis humeri		1.	$\frac{23}{3}$ 57.	—	—	—	
56.	$\frac{21}{1}$ 57.	Weber	—	1	24	Chorioiditis chronica	Cauterisatio.	1.	$\frac{21}{3}$ 57.	—	—	—	
57.	$\frac{2}{7}$ 59.	Kraeft	1	—	15	Trichiasis. Keratitis chron.		1.	$\frac{1}{9}$ 59.	1	—	—	pag. 49.
58.	$\frac{8}{1}$ 57.	Szerick	1	—	28	Distichiasis, Keratitis chron.		1.	$\frac{7}{5}$ 57.	1	—	—	
59.	$\frac{23}{3}$ 57.	Gundlach	1	—	58	Trichiasis, Keratitis chron.		1.	$\frac{17}{12}$ 57.	—	1	—	
60.	$\frac{19}{11}$ 59.	Contermann	1	—	43	Distichiasis		1.	$\frac{10}{12}$ 59.	1	—	—	
61.	$\frac{13}{11}$ 56.	Bischof	1	—	40	Distichiasis; Keratit. chr.		1.	$\frac{17}{1}$ 57.	1	—	—	
62.	$\frac{17}{6}$ 59.	Moritz	—	1	40	Rectocele vaginalis		1. 2.	$\frac{27}{7}$ 59.	1	—	—	pag. 50.
63.	$\frac{25}{6}$ 57.	Hübenbecker	1	—	58	Fistula stercoralis		2.	$\frac{17}{8}$ 57.	1	—	—	pag. 51.
64.	$\frac{5}{10}$ 56.	Perlin	—	1	35	Fistula stercoralis		2.	$\frac{7}{4}$ 57.	—	—	1	
65.	$\frac{27}{2}$ 60.	Schreiber	1	—	53	Fistula urethralis		3.	$\frac{27}{6}$ 60.	—	1	—	
66.	$\frac{4}{1}$ 60.	Meyer	1	—	22	Fistula urethralis		3.	nondum	—	1	—	
67.	$\frac{14}{9}$ 58.	Blank	—	1	33	Fistula vesicovaginalis		2.	$\frac{8}{5}$ 60.	—	1	—	
68.	$\frac{15}{3}$ 59.	Brun	—	1	—	Fistula rectovaginalis post rupturam perinaei		2.	$\frac{27}{11}$ 59.	1	—	—	
69.	$\frac{17}{12}$ 58.	Kaiser	—	1	25	Osteosarcoma humeri, fistula		1.	$\frac{21}{4}$ 59.	—	1	—	
70.	$\frac{16}{3}$ 57.	Roehr	1	—	27	Caries calcanei syphilit., fistula		1.	$\frac{27}{8}$ 57.	1	—	—	
71.	$\frac{29}{3}$ 57.	Seeger	1	—	29	Caries ossis metatars. I., fistula		1.	$\frac{9}{4}$ 57.	1	—	—	
72.	$\frac{1}{10}$ 56.	Heiden	—	1	20	Caries syphilit. ossis parietalis, laminae orbit., radii ulnaeque, fistulae		6.	$\frac{13}{3}$ 60.	1	—	—	
73.	$\frac{15}{4}$ 59.	Essing	1	—	45	Fistula ani completa		6.	$\frac{3}{6}$ 59.	1	—	—	
74.	$\frac{5}{4}$ 56.	Peters	1	—	12	Fistula ani incompleta		6.	$\frac{29}{5}$ 56.	—	1	—	
75.	$\frac{3}{2}$ 60.	Kamberg	1	—	39	Abscessus in regione glut.		1.	$\frac{25}{6}$ 60.	—	—	1	
76.	$\frac{21}{10}$ 59.	Bockhahn	1	—	36	Abscessus prof. in reg. sacrali; fistula		1. 6.	$\frac{25}{3}$ 60.	1	—	—	pag. 52.
77.	$\frac{30}{8}$ 55.	Schubbe	—	1	$\frac{1}{2}$	Teleangiectasia		1.	$\frac{18}{9}$ 55.	—	1	—	pag. 52.
78.	$\frac{30}{4}$ 60.	Kr.	1	—	19	Tumor hämorrhoid.		2.	polikl.	1	—	—	
79.	$\frac{5}{8}$ 55.	Amtsberg	1	—	28	Saccus varicosus		5.	$\frac{1}{9}$ 55.	1	—	—	pag. 53.
80.	$\frac{15}{10}$ 59.	Lass	1	—	28	Congelatio pedis		2.	$\frac{6}{2}$ 60.	—	—	—	pag. 54.